

gravamine non existente, ordinarius consensum dare teneatur, juxta dicta n. 42. Quod si episcopus consensum negat, causam negandi superioribus ædificare volentibus manifestet, per textum Bullæ Pii V, n. 42, citatum.

55. *Per appellationem contra datum consensum, omnia suspenduntur.* — Septimo, si dato per reverendissimum ordinarius consensu ædificandi, religiosi præexistentes, vel alii interesse habentes legitime appellent, totum negotium ad sacram Congregationem illico devolvitur, nec ullo modo ordinarius se amplius immiscere potest, nec religiosi ædificium incipere, nec possessionem accipere, nec materialia convehere, nec aliud quidquam ad propositum aggredi valent, per dicta n. 35, ex Bulla Gregorii XV, § fin. et Clementis VIII. Dicitur autem notanter legitime ob dicta n. 35.

56. *Ædificatio monasterii, domus, etc., contra formam constitutionum facta, est nulla, nullumque jus habitandi ibidem tribuit.* — Quæritur VIII. Quid juris, si monasteria, domus, residentia, aut loca religiosa contra hætenus traditam formam constitutionum pontificarum n. 29 allegatarum, et concilium Tridentinum erigantur? Et quæ poenæ concedentium, et erigentium? Resp. I. Omnis ædificatio, aut erectio præfatorum locorum religiosorum una cum omnibus pro eadem conducentibus est nulla, irrita, et inanis, nec aliquod jus tribuit recipientibus, erigentibus, seu ædificantibus religiosis ibidem habitandi, aut manendi. Ita hodie unanimis ob decretum irritans præfatis constitutionibus appositum; quamvis enim in Bulla Clementis VIII, et Gregorii XV, solum irrita declarentur et nulla, quæ fiunt, et attentantur post appellationem interpositam; tamen quia Urbanus VIII, absolute ac indistincte irritum, nullum, ac inane declaret, quidquid contra formam præfatarum constitutionum fieri quovis prætextu, vel causa contigerit, conclusio verificatur non solum de attentatis post appellationem, sed etiam de factis ante appellationem, imo etsi nulla appellatio insinuetur, ut loc. cit. n. 71, bene observat Passerinus, et clare patet ex citata Bulla Urbani VIII.

57. *Possunt ab eo religiosi expelli.* — Resp. II. Ordinarii locorum potestatem habent, religiosos quoslibet contra sæpe dietarum constitutionum formam ac requisita, monasterium, domum, aut aliam habitationem

regularem perpetuam alicubi ædificantes, aut erigentes, aut recipientes, abigere, repellere, eos etiam « per censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, » ita expresse statuit Urbanus VIII, in Bulla n. 29 allegata; conveniuntque ob claritatem textus doctores.

58. *Nisi jam præscriperint. Privilegium speciale franciscanorum.* — Limita tamen conclusionem in casu, quo religiosi monasterium, hospitium, domum, aut alium locum religiosum tandiu jam possident, ut præscriptioni sit locus: vi hujus enim sicut alia, ita et loca regularia minus legitime acquisita, legitime retineri valent; cum præscriptio horum nullibi prohibita videatur. Quantum autem ad eam tempus requiratur, desume ex dictis lib. II, tit. de Præscriptione. Illud etiam specialiter hic addendum, quod fratres minores regularis observantiæ, vi confessionis a Sixto V factæ possint loca quæcunque, et qualitercumque recepta, et acquisita, licite ac valide retinere, si illa jam ultra decem annos possederint; imo etiam si infra decem annos ea possideant, dummodo in hoc ultimo casu eam cum licentia ordinarii acquisierint; consequenter etsi per unum tantum, aut alterum annum, locum regularem cum licentia ordinarii pacifice possident, amplius molestari nequeant. Bullam per extensum vide apud Hyacinth. Donatum, tom. I, tract. I, q. 42, quam etiam citat Landuscha, §. *Conventibus*. n. 40. Si vero absque licentia ordinarii monasterium, domum, etc. ædificarent, reciperent, et inhabitarent, possent æque ac alii per ordinarium abigi, si ultra decennium ibidem non possent: secus, si ultra decennium.

59. *Episcopus contra præfatam formam consensum dans, mortaliter peccat, et nulliter agit.* — Resp. III. Si episcopus ipsemet contra formam sæpe memoratam consensum ædificandi præbet, aut ædificari, seu erigi conventum, domum, etc. religiosam facit; peccat mortaliter, utpote in re gravi violans constitutiones pontificias graviter obligantes: et nulliter agit, uti patet ex citatis bullis, alii autem poenæ non subjacet; quia nulla invenitur in jure.

60. *Poenæ religiosorum contra dictam formam domos ædificantium vel recipientium monasteria, vel domos, etc.* — Resp. IV. « Su-

periores regulares quicumque, et quocunque nuncupantur nomine, ac aliæ personæ, qui quovis prætextu, vel causa etiam quantumvis privilegiata, nova monasteria, collegia, domos, conventus, et alia loca regularia hujusmodi, sine expressa ordinariorum licentia, ac servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum, et concilii Tridentini nec constitutionibus Clementis VIII et Gregorii XV (supra n. 29 allegatis) recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire, et absolvere audent, seu præsumunt, præter gravissimum inobedientiæ peccatum poenas privationis vocis activæ, et passivæ, necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa, et ad alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrunt. » Ita in terminis præfata Bulla Urbani VIII, et ideo unanimis doctorum. (ADNOTATIO LVII.)

## TITULUS XLIX.

### De Immunitate ecclesiarum, cœmeterii, et rerum ad eas pertinentium.

1. *Ratio rubricæ.* Postquam compiler in præcedenti titulo egit de ædificatione ecclesiarum, recto ordine subjungit præsentem titulum de Immunitate ecclesiarum, et aliorum locorum sacrorum: cujus occasione doctores etiam sub eadem rubrica de immunitate personarum ecclesiasticarum agere solent; quos nos quoque imitabimur. Et quoniam materia hujus tituli proprie canonica, clericis scitu non tantum summe utilis, sed et necessaria est, eam paulo fusius, servatis tamen brevitatis legibus, juvante Deo, tractare conabimur.

#### § I.

##### DE NATURA, ET DIVISIONE IMMUNITATIS: UBI QUÆDAM IN SPECIE DE IMMUNITATE LOCALI.

2. *Immunitas derivatur a munere: et munus quid?* — Quæritur I. Quid ad præsens, et quotuplex sit immunitas? Ante responsionem notandum I. Immunitatem derivari a ly *munus*, quod præter alias significationes proprie onus, functionem, et obligationem

alicui impositam, vel lege aut more incumbentem significat, l. *munus*. 48, et l. *munus proprie*. 214 ff. de Verb. signif. ibi: « Munus proprie est, quod necessario obimus, lege, more imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem: » unde qui a tali onere, aut obligatione liber aut exemptus est, immunis esse et immunitate gaudere dicitur, cit. l. *Munus*. ff. de Verb. signif. cum concordantiis. Sicut e contra, qui communium onerum et munerum particeps est, *municeps* dicitur L. I, § 1, ff. ad Municipal. ibi: « Proprie municipes appellantur muneris participes. »

3. *Immunitas ecclesiarum, et ecclesiastica non sunt idem; passim tamen sumuntur pro eodem.* — Advertendum II. Quod quamvis multi doctores (quos etiam in *Theologia nostra morali*, tract. XII, dist. 4, n. 3, sumus secuti) immunitatem ecclesiarum, et immunitatem ecclesiasticam confundant, ac pro eodem sumant, indeque una definitione eam describant dicendo: « Immunitas ecclesiastica est jus, seu exemptio, qua ecclesie, res, et personæ ecclesiasticæ a publicis muneribus, et oneribus sæcularibus sunt liberæ; » et ita definitam immunitatem ut sic dividant in localem, realem, et personalem: tamen si stricte ac proprie loqui velimus, non sint idem, sed quid diversum, uti bene advertit Riccius in *Praxi aurea*, part. II, resol. 53, n. 2, quem sequitur Engel, h. t. n. 2, et alii volentes, quod per immunitatem ecclesiarum sola intelligatur immunitas localis, competens Ecclesiis aliisque locis sacris juxta dicenda infra. Immunitas vero ecclesiastica sit, et dicatur illa, quæ competit personis ecclesiasticis, rebusque ad has personas, vel ad ecclesias, aut loca sacra pertinentibus, arg. extravag. 4, § *Incendiarios de Privileg.* ubi distincti poni videntur immunitatis ecclesiarum, et libertatis (id est immunitatis) ecclesiasticæ violatores: ut proin in materia pœnali, ubi termini stricte ac proprie accipiuntur, arg. c. *Odia. de Reg. Jur.* in 6, nomine immunitatis ecclesiarum non veniat immunitas ecclesiastica, et e contra, nisi expresse constet de mente legislatoris, et hanc doctrinam etiam ideo amplectimur; quia supra posita definitio immunitatis ut sic ab adversariis communitatis data non convenit omni definito; cum uti ex dicendis infra patebit, non possit aptari immunitati locali, ac juri asyli, quæ tamen est membrum definiti, juxta ipsos adversarios, qui immunitatem, ut supra definitam, in lo-

calem, realem, et personalem tanquam species dividunt.

4. *Immunitas ut sic definitur.* — Resp. I. « Immunitas ad præsens est jus, quo ecclesia, et alia loca sacra, necnon personæ ecclesiasticæ, ac res ipsarum liberæ ac immunæ sunt a muneribus, et oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati, et reverentiæ debitæ repugnantibus. Ita desumitur ex doctrina n. præced. patebitque ex dicendis infra arg. integr. tit. h. t. Dicitur *Jus loco generis*. Dicitur, « quo ecclesia, loca sacra, personæ, et res, ut quævis species immunitatis » includatur. Dicitur « a muneribus, et oneribus sæcularibus, » quæ particulæ in immunitate reali, et personali verificantur. Additur, « et actibus reverentiæ debitæ repugnantibus; » ne a definitione excludatur immunitas localis, quod totum magis patebit ex dicendis.

5. *Immunitas dividitur in localem, realem et personalem.* — Resp. II. Immunitas ut sic dividitur in localem, realem et personalem. Ita in re communis; quamvis multi dividendo immunitatem dicant, immunitas ecclesiastica dividitur; nos vero ly *ecclesiastica* omitendo dicimus, immunitas ad propositum dividi dicitur; ut proin, licet cum omnibus aliis concedamus immunitatem esse triplicem: localem nempe, realem et personalem, non tamen (stricte loquendo) fatemur immunitatem ecclesiasticam esse ita triplicem: cum juxta dicta et dicenda adhuc, immunitas localis proprie non sit ecclesiastica, sed ecclesiarum, nec ei definitio immunitatis ecclesiasticæ a doctoribus communiter data, et supra n. 3, allegata conveniat, bene vero definitio immunitatis ut sic data, n. præced. Cæterum fatendum, quod in communi usu loquendi ac scribendi, ad præfatam differentiam non multum attendatur, sed immunitas ecclesiarum, et ecclesiastica passim pro eadem sumantur, ac etiam immunitas realis ecclesiastica appelletur, prout ipse quoque Gregorius XIV, in sua Bulla infra alleganda fecisse dignoscitur. Porro quid sit, et in quo consistat quævis ex præfatis tribus membris immunitatis fuse patebit ex sequentibus. Interea scire sufficiat, immunitatem localem esse, quæ locis, realem quæ rebus, personalem quæ personis competit. Exactius autem agendo imprimis de immunitate locali:

6. *Immunitas localis, quid?* — Queritur II. Quid sit, et in quo consistat immunitas

localis, seu Ecclesiarum? Resp. Immunitas localis est jus competens ecclesiis aliisque locis religiosis, vi cujus actus profani, seu sæculares in iis exerceri non valent; et malefactores illuc confugientes in vita et membris proteguntur, ita ut inde extrahi non possint. Ita in re communis, arg. c. *Decet*. h. t. in 7, et can. *Non oportet*. dist. 42, c. *Ecclesiæ*, h. t. cum concordant. Atque diximus in *Theologia nostra morali*, tract. XII, dist. 1, q. 2, n. 10, ubi etiam cum communi aliorum inferre non omisimus, quod in duobus præcipue consistat, duosque effectus pariat immunitas localis, videlicet I. Quod in locis sacris actus profani fieri nequeant, II. Quod illuc confugientes malefactores tuti sint in vita et membris, per Jura citata. De primo in præsentibus, de secundo in sequentibus agemus paragraphis.

7. *Hæc gaudent omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ, licet nondum sint consecratæ.* — Queritur III. Quænam loca gaudeant immunitate locali in ordine ad actus profanos, quod hi in iis fieri nequeant? Et qui sint tales actus? Resp. I. Omnes ecclesiæ etiamsi nondum sint consecratæ, sed tantum benedictæ, vel auctoritate episcopi ad cultum divinum, et Officia divina deputatæ gaudent præfata immunitate. Communis ac certa textu claro c. *Ecclesiæ*, 9, h. t. ibi: « Ecclesiæ in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non exstiterit consecrata, nullo modo privilegium Immunitatis admittitur. » Ratio subjungitur, « quia obsequiis divinis dedicata, nullis est temerariis usibus profananda. »

8. *Nec divina in eis celebrata.* — Ex qua ratione Abbas in cit. c. *Ecclesiæ*, h. t. n. 5, et ibi Fagnanus, n. 8, atque Hostiensis *ŷ. Celebrantur*, Sylvester, *ŷ. Immunitas*, 1, q. 1, dicto 1; Covarruvias, lib. II, *Variar. resolut.*, cap. xx, n. 4; Azorius, part. II, lib. IX, cap. VIII, q. 1, cum communi aliorum contra Glossam in idem c. *Ecclesiæ*, h. t. *ŷ. Celebrantur* inferunt, ecclesiam hujusmodi gaudere immunitate, etiamsi divina Officia in ea nondum sint celebrata, eo quod Pontifex pro causa, et ratione alleget celebrationem divini Officii jam factam, sed quia obsequiis, ac Officiis divinis est dedicata, seu deputata: et merito: quia ex eo solo, quod ecclesia auctoritate episcopi ad usus sacros sit deputata, jam existit locus sacer ac religiosus, ita ut ad usus profanos redire, et applicari amplius nequeat, textu claro c. *Ad*

*hæc*, 4, de *Religios. domib.* et diximus supra eod. n. 3.

9. *Idem dic de oratoriis.* — Ex eadem ratione Barbosa in cit. c. *Ecclesiæ*, h. t. n. 10, et ibi Abbas, n. 2; Butrius n. 3; Joan. Andreas n. 1. et alii communiter, immunitatem hanc etiam oratoriis auctoritate episcopi erectis tribuunt, non item oratoriis privatis auctoritate episcopi non erectis, etsi in eis ex privilegio Missæ fuerint celebratæ, quod idem etiam supra tit. de *Religios. domib.* n. 3. jam diximus.

10. *Sacris, et locis ecclesiæ adhaerentibus.* — Resp. II. Eadem immunitate gaudent etiam loca, et habitacula ecclesiæ adhaerentia, uti sunt sacristia, porticus, atrium. Barbosa in cit. c. *Ecclesiæ*, 9, h. t. n. 7; Pirhing, eod. n. 3; Tuschus *ŷ. Ecclesia*, concl. 12, num. 3, arg. can. *Si quis*. 20, cau. 17, q. 4, et ibi Glossa *ŷ. Adhaerentibus*, cum communi aliorum. Ratio est, quia quæ religiosis adhaerent, etiam religiosa sunt, l. XLIII, prin. ff. de *Rei vindic.*

11. *Cæmeteria gaudent iis privilegiis, quibus ecclesia.* — Resp. III. Memorata immunitate gaudent etiam cæmeteria ecclesiarum. Rursus communis ac certa ob clara jura arg. c. fin. h. t. et c. 2, eod. in 6, ibi: « Cessent in ecclesiis earumque cæmeteriis, negotiationes et præcipue nundinarum ac fori cujusque tumultus: omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis maxime agitur. » Ratio est, quia universaliter cæmeteria iisdem gaudent privilegiis, quibus ecclesia, arg. c. 5, h. t. et ibi Abbas, n. 5, cum communi.

12. *In præfatis locis non possunt tractari cause criminales.* — Queritur IV. Quinam actus profani prohibiti sint, et fieri nequeant in supra dictis locis sacris? Resp. Sequentes. Et quidem I. Sub pœna excommunicationis prohibitum est iudicibus sæcularibus agitare vel tractare causas criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel pœna corporali, textu expresso c. *Cum Ecclesia*, 5 h. t. ibi: « Cum Ecclesia Dei secundum Evangelicam Veritatem domus orationis esse debeat; non spelunca latronum, aut sanguinis forum: sæculares iudices causas, ubi de sanguinis effusione, et corporali pœna agitur, in ecclesiis, vel cæmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus. » Ratio subjungitur: « Absurdum enim est, et crudele, ibi iudicium

sanguinis exerceri, ubi est tutela refugi constituta: » et ibi doctores communiter Notat tamen ibidem Glossa *ŷ. Anathematis*, communiter recepta, hanc excommunicationem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ. Nec efficere nisi criminaliter, ut præfertur, in ecclesia procedentes, uti communiter notant doctores eo quod pœna non sit extendenda ultra formalia verba legis, arg. c. *Odia de Reg. jur.*, in 6.

13. *Neque civiles criminales.* — II. Prohibitum etiam (sed non sub excommunicatione) est sæcularia exercere judicia, seu processus civiles: textus expressus est in c. *Decet.*, 2 h. t. in 6. ibi: « In Ecclesiis earumque cæmeteriis omnis (consequenter etiam civilis) sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ibi causa (consequenter nec civilis) criminalis maxime agitur. » Quod si contrarium attentetur, « Processus iudicum sæcularium, ac specialiter prolata sententiæ omni careant roboris firmitate; » ut ibidem statim subjungitur.

14. *Bene tamen ecclesiasticæ.* — Notanter autem dicitur « sæcularia judicia; » quia judicia ecclesiastica ibidem exercere, nullo jure reperitur prohibitum sed non tantum a sensu contrario, verum etiam positive concessum videtur, ut habet ibidem Glossa communiter recepta *ŷ. Sæcularium*, arg. c. *Qua fronte*, 23, de *Appellat.* ubi canonicum et honestum dicitur, in ecclesia exercere judicia ecclesiastica. Ratio est, quia ecclesiæ præsumere merito potuit, judicia ecclesiastica minori cum strepitu, et minori tempore expedienda fore, simulque iudicem ecclesiasticum adhibiturum majorem curam, ut cuncta sine irreverentia loci fiant. Fatendum tamen cum Suarez, de *Relig.*, lib. III, cap. XLIV, n. 11; Pirhing, h. t. n. 7, et aliis magis decens, et conveniens esse, ut etiam ecclesiastica judicia non in ecclesia, sed extra illam, v. g. in episcopi palatio, vel camera, vel alio commodo loco fiant; id, quod hodie consuetudo et praxis passim vigens confirmat.

15. *Contractus quoque in dictis facti licet valeant, tamen sunt prohibiti.* — III. Prohibitum est in ecclesiis, et cæmeteriis contractus, negotiationes, et nundinas facere, cit. c. 2, h. t. in 6, ibi: « Cessent in ecclesiis, earumque cæmeteriis negotiationes, et præcipue nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus; » idque conformiter doctrinæ et exemplo Christi, qui *Matth.*, XXI, 12, 13,

ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et dixit eis: Scriptum est: domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam, speluncam latronum. Verum quamvis negotiationes et contractus profani in ecclesia fieri prohibeantur, consequenter sicut illiciti, tamen ibidem facti valent, et subsistunt; uti incit. c. Decet. 2, h. t. in 6, §. Processus, bene conservat Glossa, et docet cum communiori aliorum Abbas, eo quod contractus hujusmodi nulli irritentur in jure sicut irritantur processus et sententiæ, c. Cum Ecclesia, 5, h. t. cujus capituli constitutio cum sit odiosa, non est extendenda, arg. c. In pœnis, et c. Odia, de Reg. jur. in 6.

16. *Exceptis, qui fiunt ad promovendam devotionem fidelium, uti est venditio candelarum. Observatio practica.* — Porro non tantum validi, sed etiam liciti sunt in ecclesiis, ac cœmeteriis contractus illi, qui principaliter fiunt ad promovendam devotionem fidelium; qualis est venditio candelarum. Sylvester, §. Immunitas, 1. q. 2, §. Quinto; Azorius, part. II, lib. IX, cap. ix, q. 5; Pirhing, h. t. n. 12; Angelus, et plures alii: dummodo fiant sine strepitu, et perturbatione, aut impedimento cultus, et Officii divini; nec principaliter intendatur lucrum: hoc enim, ubi concurreret, procul dubio negotiationes in ecclesiis illicitas redderet, etsi aliqua pro cultu divino distraherentur, arg. c. Decet., 2, h. t. in 6, ibi: « Quæcunque possunt turbare officium, sunt prorsus extranea: » idque, conformiter exemplo Christi qui Matth., xxi. reprobavit negotiationes in ecclesia factas, licet per eas vendebantur, quæ pro sacrificio serviebant: quia nempe per eas impediabantur orationes, et cultus divinus in domo Dei. Hinc fit, quod etiam sacra, seu potius materia sacrorum v. g. Numismatum, imaginum, et aliorum ad devotionem servientium vendentes stent extra ecclesiam, prout bene observat loc. cit. Sylvester.

17. *Omnes actus profani, profanaque colloquia in ecclesiis sunt prohibita.* — IV. Universaliter ferme omnia vana, ac profana, præsertim quæ divinum cultum, aut officium aliquo modo turbare possunt, aut ejus reverentiæ contraria sunt, in dictis locis specialiter sunt prohibita: prout ex sequentibus juris textibus liquet, ut c. Cum decorem, 12. de Vita et honest. cleric. ubi prohibentur in

ecclesiis fieri profani ludi theatrales, præsertim in larvarum monstris, can. Non oportet. 4. dist. 42. ibi: « Non oportet in ecclesiis apagen facere, et intus manducare, et accubitus sternere, » c. 2. h. t. in 6 ibi: « Nullus in eisdem locis, in quibus cum pace, et quiete vera convenit celebrare, seditionem excitet, conclamationem moveat. impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum, et societatum quarumlibet concilia, conciones, et publica parlamenta. Cessent vana, et multo fortius fœda et profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet: sint postremo quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea. » Simili modo statuit concilium Tridentinum, sess. 22. in Decreto de Observandis, et evitandis in celebratione Missæ, ibi: « Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, etiam sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit. » Alia ratio allegatur, in cit. c. 2. h. t. n. 6. videlicet, quia *Domum Dei decet sanctitudo*: et ne ubi « peccatorum est venia postulanda, peccandi detur occasio aut deprehendatur, peccata committi. »

18. *Vim inferentes ecclesiæ, et eam consulentes, etc., laedunt immunitatem, ac subjacent pœnis.* — V. Specialiter prohibitum, ac contra immunitatem etiam localem est, ecclesiæ vim, aut violentiam inferre, infringendo v. g. ejusdem fores; et multo magis recipiendo illius bona, arg. can. Omnes. 5. can. Sicut. can. Quisquis. 21. cau. 17. q. 4. ubi transgressores non tantum sacrilegi dicuntur, sed etiam excommunicantur, et quidem ipso facto, si cum effractione spoliatio fiat. Concordat, c. 22. de Sentent. excommunicat. et ibi Glossa, §. Excommunicatos. Pariter sacrilegi sunt, et pœnis juris subjacent consulentes, et mandantes, ac alio modo cooperantes ad ecclesiarum violationem, arg. cit. Omnes. 5. cau. 17. q. 4. et ibi Glossa, §. Consentiant.

19. *In ecclesiis liciti sunt actus pietatem respicientes: ac dispensationes publicæ.* — Resp. II. Licite, ac valide in ecclesiis, ac cœmeteriis, aliisque locis sacris fieri possunt actus extrajudiciales, vel voluntariæ jurisdictionis omnes illi, qui pietatem, aut devotionem

respiciunt, vel promovent. Barbosa, lib. II, Jur. Eccles. univ. cap. III, n. 11 et 12. Abbas, in c. Cum Ecclesia; 5. h. t. n. 6; Pirhing, eod. n. 11. Hinc in specie, licita ibidem sunt pia ac honesta spectacula; Sylvester, loc. cit. n. 7. ad finem, arg. can. Semel. 51. de Consecrat. q. 2. Item disputationes litterariæ publicæ, eo quod scientia donum Dei, et res sancta, ac necessarium sit medium ad pietatis et virtutum opera rite peragenda. Ex qua ratione licite in ecclesiis conferuntur gradus doctoratus, aut magistrarii. Abbas, loc. cit.; Azorius, loc. cit. q. 4; Joan. Andreas, in c. Decet. h. t. in 6. et communis, arg. l. I. §. Proinde. ff. de Variis, et extraordinar. cognit. Licet item ibidem est pupillo, et minori tutorem, ac curatorem dare. Ancharanus, in cit. c. Cum Ecclesia. 5. h. t.; Azorius, part. II, lib. IV, cap. IX, q. 3. quia hoc importat actus pietatis.

## § II.

DE JURE, SEU IMMUNITATE ASYLI: AC DE LOCIS, QUIBUS COMPETIT.

Diximus in præcedenti paragrapho n. 6, immunitatem ecclesiarum, seu localem præter jam enumeratum etiam illud habere effectum, quod confugientes ad loca sacra malefactores tuti sint in vita, et membris: qui effectus jus, seu immunitas asyli dicitur: de quo specialiter præsens, et sequentes Paragraphi erunt.

20. *Jus asyli, quid?* — Quæritur I. Quid sit immunitas, seu jus asyli, et quo jure introductum habeatur? Resp. I. Jus, seu immunitas asyli est jus ecclesiis, et sacris, necnon aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc, quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. Est in re communis, arg. c. Inter alia. 6. h. t. cujus textum vide n. seq. et patebit ex dicendis infra. Solum interea notanda verba, « Necnon aliis quibusdam locis, » ad denotandum, non solum ecclesiis, et locis sacris, sed et aliis profanis quoque quibusdam locis ex privilegio apostolico competere posse jus asyli, prout infra.

21. *Est constitutum jure civili ac canonico.* — Resp. II. Jus, seu immunitas asyli, est jure duntaxat humano civili, et canonico introductum, non item naturali, nec divino.

Covarruvias, lib. II, Variar. resolut. cap. xx. n. 2; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 1, q. 1; Suarez, tom. I. de Relig. lib. III. cap. VIII, n. 9; Sannig, h. t. cap. II; n. 1; Zoesius, h. t. n. 6; Engel, h. t. n. 7; Pirhing, eod. n. 15, cum communi aliorum, quos jam secuti sumus in nostra Theologia morali, tract. XII, dist. 2, n. 2, contra Delbene de Immunitate et jurisdiction. eccles. cap. XVI, dub. et n. 2. ubi illud juris naturalis esse asserit, et contra Fagnanum, in appendice, de Immunitat. cap. II. n. 9. Decium, et Tuschum, existimantes esse juris divini positivi. Probatur conclusio imprimis, quod sit juris humani civilis, et canonici, ex toto titulo præsertim l. 2. 3. et 6. C. de His, qui ad ecclesias confugiunt, et novell. 17, cap. VII, et c. Intra. 6. h. t. ibi: « Fugiens ad ecclesiam quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus, nec inde damnari ad mortem, vel ad pœnam (corporalem), ut habet ibi Glossa, §. Puniendus, sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra, et vitam: super hoc tamen, quod inique fecit, est alias legitime puniendus. » Concordat, c. fin. eod. item can. Miror. 8. can. Reum. 9. can. Nullus. 19. can. 20. et plures alii cau. 17. q. 4.

22. *Non item naturalis. Jus naturale semper firmum ac immutabile permanet.* — Probatur, quod de jure divino naturali non sit, quia, ut argumentatur Covarruvias, loc. cit. licet jure divino naturali præceptum sit, Deum colendum, sacrisque locis reverentiam esse exhibendam, tamen ex hoc rite non infertur jus asyli: cum extractio rei a loco sacro, ut debitas luat pœnas, quantum est ex se, nec contra cultum divinum, nec contra reverentiam sacro loco debitam militet, nec intrinsece mala, sed potius conformis sit juri divino naturali, volenti, ut crimina debitis coerceantur pœnis, et non maneant impunita; cum alias hono publico, ac innocentibus contra malefactores per dictum jus sufficienter non esset provisum. Confirmatur: si jura asyli essent de jure divino naturali, nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari; quia « jura naturalia semper firma, » et immutabilia permanent, ut dicitur. §. Sed naturalia. 11. Instit. de jure natural. gent. et civili. nec potuissent ab aliquo etiam Papa minui, immutari, aut dispensari; cum inferior in legem superioris nullam habeat potestatem, Clem. Ne Romani